

Ritualibus Dioeces. Item apud P. Stoiber P. 2. Armamentarii Eccles. c. 4. a n. 84.

§. XVII. *De impedimento raptus.*

1356. *Principium generale.* Impedimentum raptus, quatenus ex jure Ecclesiastico dirimit matrimonium, provenit ex violenta personae abductione in ordine ad contrahendum matrimonium. De hoc *Trid.* sess. 24. c. 6. de reform. matrim. ita statuit: *Decernit S. Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si raptam a raptore separata, et in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si Clerici fuerint, de proprio gradu decident.* Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare. Probabilius dicta excommunicatio non est reservata summo Pontifici. *Reginaldus L.* 22. n. 31. expresse ait, quod ea quidem sit latae sententiae, ut patet ex particula, *ipso jure;* sed nulli reservata, quia id debuisse in decreto indicari juxta c. nuper. de sentent. excom. §. in secundo casu.

1357. Ex dictis, ut raptus sit impedimentum dirimens, requiritur I. *Violenta abductio personae* sive solitae, sive ligatae, sive viduae, etiam alioquin in honestate viventis, quia etiam hae salvam debent habere et perfectam libertatem matrimonii. Intelligitur autem violentia vel *physica*, quae fit per violentam manuum injectionem; vel *moralis*, quae fit per metum gravem, item per mandatum alteri datum ad vim inferendam. Unde non inducitur impedimentum, si absit violentia in abductione, v. g. si puella sponte consentiat. Dubium autem est, *primo* an subsit impedimentum, si puella quidem consentiat, sed repugnat parentes vel tutores. Juxta probabilem non oritur tunc impedimentum, quia liber parentum consensus non requiritur ad valorem matrimonii. Ita *Sanch. L. 7. d. 13. n. 13.*, *Regin. l. c.*, *Less.* et alii contra *Henriq.*, *Rebellum*, *Petr. de Ledesma* et alios. Talis tamen raptor incurrit alias poenas juris civilis a judice infligendas pro mensura delicti. Item dubium *secundum* est, an decretum contineat raptum, si sponsus vi abducatur sponsam post inita sponsalia? R. Juxta probabilem talis raptus continetur in Decreto, quia Tridentinum sine restrictione loquitur: ergo non tantum de persona libera, sed etiam sponsa violente abducta (secus enim est de libere consentiente) intelligendum est, quamvis rapiat sponsam sibi promissam; tamen quoad modum contrahendi infert ei injuriam et violentiam; praecipue hoc tenendum in casu, quo sponsa ante raptum habeat justam causam resiliendi. *Sanch. l. c. Azor.*, *Guttier.* et alii contra graves AA. *Tertio* dubitatur, an decretum intelligendum sit de muliere rapiente virum. Juxta communiorum non est intelligendum de rapiente muliere; patet enim, quod Tridentinum expresse loquatur de raptoribus, nec leges solent statui de casibus rarissimis, qualis est de muliere rapiente. Ita *Sanch.*, *Pont.*, *Molina*, *Wiestner* contra *Guttier*, *Haunold.*, *Krimmer* et alios, qui ex paritate rationis affirmativam tenent.

1358. II. Requiritur, *ut sit vera abductio* de loco in locum moraliter diversum, qualis non est, si persona de cubiculo in cubiculum ejusdem domus, aut proxime vicinam domum abducatur. *Pichler* hic n. 119.

1359. III. Requiritur, ut abductio fiat matrimonii contrahendi causa. Hinc non oritur impedimentum, si mulier rapiatur ex alio fine, v. g. ut

vendatur, in servitutem redigatur, spoliatur etc.; hic enim proprie non est raptus, sed *plagium*.

Quid? si raptor abducatur mulierem, non matrimonii contrahendi, sed libidinis exercenda causa? R. Probabilius non oritur impedimentum dirimens, quia Tridentinum l. c. expresse statim ab initio meminit solius matrimonii contrahendi, dum statuit impedimentum inter raptorem et raptam: ergo indicium est, de illo solo raptu loqui decretum, qui fit matrimonii contrahendi causa. Ita *Sanch. l. c.*, *Dicast.*, *Wiest.*, *Schmalzgr.* et alii contra *Sà*, *Azor*, *Bonac.* et multos alios. Denique per se constat ex verbis *Trid.* quod matrimonium nullum sit, etsi mulier violente abducta postea, dum adhuc est in potestate raptoris, nec loco redditia tuto, consentiat.

QUAESTIO FINALIS.

*An matrimonium nihilominus sit nullum, et si contrahentes invincibiliter ignorantem impedimentum dirimens, quod habent?*

1360. R. cum probabile. Etsi sic contrahentes non peccent ob ignorantiam, matrimonium tamen est nullum; quia leges de impedimentis non sunt tantum prohibentes, sed irritantes. *Neque obstat*, quod aliqua impedimenta habeant rationem poenae, ut impedimentum criminis et alia: nam primario censeri non debent poenae, quamvis simul imponantur in poenam delicti, sed principaliter sunt inhabilitates canonicae, quibus stantibus non subsistit valor matrimonii. Demum etsi opposita sententia videatur speculative probabilis, obstat tamen Ecclesiae praxis, teste *La Croix L. 6. p. 3. n. 642.*, cum rei criminis impedimenti nunquam permittantur contrahere sine dispensatione. Confirmatur etiam ex eo, quod petenda sit dispensatio, etsi praecesserit ignorantia, ut satis clare patet ex *Trid.* sess. 24. c. 5. de reform. matrim., ubi ita expresse habetur: *Si vero solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo et gratis dispensari poterit.*

ARTICULUS IV. *De dispensatione in impedimentis matrimonii.*

§. I. *De potestate dispensandi super impedimentis matrimonii.*

1361. *Principium I.* Super impedimentis solum impedientibus matrimonium absque dubio dispensare potest summus Pontifex pro utroque foro: quia cum haec impedimenta lege tantum positiva Ecclesiastica introducta sint, ejusdem legislatoris erit solvere, cuius erat ligare. Ex eadem ratione Papa dispensare potest super impedimentis, *quae jure tantum ecclesiastico matrimonium dirimunt*, qualia ex dictis esse censentur 1. *cognatio spiritualis*, 2. *legalis*, 3. *carnalis seu consanguinitas* (excipe, in linea recta, et in primo gradu lineae transversae), 4. *affinitas*, juxta n. 1298., 5. *votum solemne religionis*, 6. *ordo*, 7. *crimen*, 8. *cultus disparitas*, 9. *publica honestas*, 10. *clandestinitas*, 11. *raptus*. In iis vero impedimentis Papa dispensare nequit, quae jure naturali vel divino matrimonium dirimunt, uti sunt 1. *error*, 2. *conditio*, 3. *ligamen*, 4. *impotentia*, 5. *consanguinitas in linea recta*, et in primo gradu lineae transversae, 6. *vis absoluta*. *De conditionali dubium* est, juxta n. 1313.; quia Pontifex hic non potest supplere consensum errore impeditum, aut impotentem reddere potentem, aut contra legem Christi matrimonium consummatum dissolvere etc.

1362. *Principium II.* Episcopus ex justa causa pro utroque foro dis-

pensare potest super impedimentis mere impedientibus. Haec enim (inquit Bened. XIV. L. 7. de Synod. Dioeces. c. 31. n. 1.) nullus dubitat posse relaxari ab Episcopo, si excipias impedimentum ortum ex sponsalibus cum altero initis, quod isto invito sine ejusdem injuria remitti nequit, et illud, quod provenit ex voto aut ingrediendae religionis, aut perpetuae castitatis, quae vota, nisi fuerint conditionata, summo Pontifici reservantur. Similiter juxta communem Episcopus dispensare potest super voto castitatis ad tempus, item in voto non nubendi, debitum non petendi, sacros ordines suscipiendi etc. Episcopum quoque dispensare posse justa de causa super denuntiationibus, nuper dictum est ex *Trid.* n. 1178. et 1250. Porro Episcopum dispensare tantum posse super vetito sive decreto suo inhibitorio, non super interdicto Pontificis, nuper jam monui.

1363. *Principium III.* Episcopus non habet ordinariam potestatem dispensandi in impedimentis dirimentibus publicis: hanc enim potestatem (ibid. n. 3. eruditus docet Bened. XIV.) communi fere calculo Doctores negant Episcopo: quin inno sacrae Urbis Congregationes, Concilii videbilet, et supremae Inquisitionis non semel proscripterunt tanquam falsam, et temerariam propositionem asserentem Episcopo jus dispensandi super impedimento dirimenter publico, quod obsistat matrimonio contrahendo, etiam si gravis urgeat illud contrahendi necessitas. Denique conqueritur idem Pontifex, quod nihilominus non desint aliqui, licet pauci Doctores, hac in re Episcopis blandientes, quorum aliqui innituntur praedicto axiomati, videlicet: Quidquid potest Pontifex in universo orbe, si ea excipias, quae totius Ecclesiae statum respiciunt, ut fidei articulum definire, potest Episcopus in sua dioecesi, nisi specialiter Papa sibi illud reservaverit... Cujus falsitatem deteximus cap. praec. 30. eod. L. 7. de Synod. Dioeces. Alii vero innituntur diuturna consuetudine. Hanc quoque fortissimis rationibus cit. c. 31. impugnat primo scilicet dubium esse, an talis consuetudo unquam viguerit; secundo, an non potius contigerit, hunc illumine Episcopum in hoc aut illo impedimento dispensasse ex privilegio sibi a prima Sede specialiter concesso, ideoque non ex consuetudine; tertio ait, dato etiam in aliquam dioecesim irrepsisse eam consuetudinem, diligenter prius examinandum est, an ea consuetudo omnes habuerit conditiones necessarias, ut potuerit praevalere legi Episcopo inhibenti, ne Superioris statutum infringere, aut quoquo modo relaxare praesumat. In fine c. 31. n. 8. sic concludit: Quare si aliquis Antistes ob nimiam suae dioecesis ab Urbe distantiam, aliamve legitimam causam necessariam sibi reputet auctoritatem dispensandi in uno, aut pluribus impedimentis matrimonium dirimentibus, eam exposcat a Romano Pontifice, qui eam petentibus impetriri non renuit, nunc magis, nunc minus amplam pro temporum, et locorum varietate.

1364. Sic reverendissimo ac celsiss. Episcopo Herbipolensi concessa est facultas pro utroque foro primo dispensandi cum pauperibus tantum in tertio et quarto gradu, simplici et mixto, in matrimonio contrahendo; in contracto vero cum haereticis conversis etiam in secundo simplici (aequali) et mixto (concurrente cum tertio, vel quarto), dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam; secundo dispensandi super impedimento publicae honestatis ex sponsalibus proveniente; tertio dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum in mortem machinante, ac restituendi jus petendi debitum amissum; quarto dispensandi in impedimentis cognationis spiritualis, praeter levantem, et levatum. Quae tamen dis-

pensationes conceduntur sub clausula: dummodo mulier raptta non fuerit, et si raptta fuerit, in potestate raptoris non existat. Ita methodus practica dispens. matrim. Heriboli impressa 1733.

1365. Episcopo tamen competit facultas in casibus extraordinariis, sive magnae et urgentis necessitatis, dispensandi pro foro conscientiae super impedimento, quod irritum reddit matrimonium jam publice contractum; de quo idem Bened. XIV. cit. L. 7. de Synod. Dioeces. c. 31. n. 1. ait: Ulro enim concedimus Episcopo illud relaxandi facultatem, quam eidem adscribunt Sylvester... Sotus... Navarrus... Sanchez... Pontius... Zerola... Cabassutius... Sylvius... Fagnanus... Nat. Alexander... qui tamen omnes unanimiter monent, non posse Episcopum eam potestatem sibi usurpare, nisi concurrent sex circumstantiae. Primo scilicet, ut jam matrimonium fuerit contractum in facie Ecclesiae, omnibus adhibitis solemnitatibus. Secundo, ut contractum fuerit bona fide ex juris, aut facti ignorantia. Tertio, ut sit consummatum. Quarto, ut impedimentum sit occultum. Quinto, ut non facile possit adiri prima Sedes, seu dispensatio a Papa obtineri ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam, aliasque similes, causas. Sexto denique, ut non possit separatio fieri sine scandalo... Notant itidem Doctores, dispensationem ab Episcopo in predictis circumstantiis obtentam prodesse dumtaxat pro foro conscientiae, non autem pro foro externo: non enim plus potestatis tribuendum est Episcopo, quam habet Major Poenitentiarius Papae, qui in praedicto rerum eventu impedimentum aufert, ut matrimonium convalescat, solum in foro interno. Quocirca si impedimentum antea occultum postea detegatur et deducatur ad forum contentiosum, opus erit nova dispensatione a summo Pontifice impetranda.

1366. Pariter juxta Sanchez, Pontium, Hurtadum, Barbosa, Bonac. de matrim. d. 3. pun. 15. n. 5. et alios graves AA. contra Fagnanum in c. Nimis, de fil. presbyt. n. 34. et 35., Episcopus in casu urgentissimae necessitatis, concurrentibus praedictis conditionibus, dispensare potest, pro foro interno super impedimento occulto juris Ecclesiastici, etiam antequam matrimonium contrahatur, v. g. si praemissis denuntiationibus, et amicis invitatis, et omnibus ad nuptias paratis pridie nuptiarum manifestetur impedimentum occultum. Ratio hujus est, quia ad praecavenda gravia mala et scandala, si aliis non suppetat modus illis occurrendi, praesumendum est, summum Pontificem delegare Episcopo potestatem dispensandi, quam certe requisitus non esset ei denegaturus. De hoc idem Bened. XIV. in cit. L. 7. de Synod. Dioec. cap. 31. n. 3. ait: Sed quidquid sit de extraordinaria potestate, quae ex praesumpta summi Pontificis voluntate, in aliquo eventu, urgentissimae videlicet necessitatis, et impedimenti oculti, competit Episcopis, nullum in praesens de ea serimus judicium.

1367. *Principium IV.* Ad dispensationes matrimoniales necessario praerequiritur legitima causa. Regulariter autem dispensari solet ob sequentes causas, inter quas

1368. Prima est *angustia loci*, quae tunc locum habet, quando oratrix (non vero orator) in loco, ubi orta est, propter loci angustiam non potest nubere aequali, nisi consanguineo, vel affini; ac proinde, si tali non liceret nubere, deberet vel manere innupta, vel nubere viro, qui statu, conditione aut divitiis inferior, vel quia aetate, moribus, aut religione dispar foret.

1369. Secunda causa est *incompetentia dotis* oratricis, quando foemina dotem quidem habet, sed juxta status sui conditionem minus competentem; ita ut orator consanguineus vel affinis illam cum dicta dote du-

cere velit, illa vero sponsum paris conditionis sibi non consanguineum vel affinem invenire nequeat. Idem sentiendum, si foemina habeat quidem dotem competentem, sed litibus involutam, adeo ut subsit periculum, ne causa cadat: vir autem eam intendens ducere, velit ac possit litem in se suscipere, ac utiliter defendere. Huc reducitur *causa dotis cum augmento*, item *pro indotata*, quando minus vel nihil habens oratrix existit, et orator indotatam ducere ac usque ad quantitatem statui oratricis congruam competenter dotare legitime promittit. Quod pariter tenendum, si alias vel consanguineus, vel extraneus ad id non obligatus oratrici dotem consti-tuere, vel competenter augere velit sub conditione, ut oratori nubat, et non alias.

1370. Tertia causa est *etas superadulta* oratricis, quando illa vige-simum quartum aetatis suae annum jam excedit, et virum paris conditionis, cui posset nubere, non invenit. Ecclesia enim vult subvenire puellis, ne cum periculo incontinentiae permanere debeant omnino innuptae. Haec autem causa non extenditur ad viduas.

1371. Quarta causa est copula carnalis habita cum consanguinea, af-fine, vel alia persona impedimentum dirimens habente. Si copula fraudu-lenter sub spe facilius impetrandi dispensationem habita fuerit, id expri-mendum foret, et quidem an utraque pars, an vero altera tantum sub pae-dicta fraude peccasset.

1372. Quinta causa est *infamia*, seu *diffamatio mulieris*, orta ex nimia familiaritate, ac suspecto modo conversandi inter oratores, ita ut ex jugi consortio, amplexibus etc. nata sit suspicio, licet falsa, quod oratores se invicem carnaliter cognoverint; ideoque nisi matrimonium inter eos con-traheretur, oratrix graviter diffamata innupta maneret, graviaque inde scan-dala, et detractiones orirentur.

1373. Sexta causa est *matrimonium bona fide cum ignorantia impe-dimenti contractum*, maxime si fuerit jam consummatum, et proles inde progenita, adeo ut separatio oratorum sine gravi scando, et prolium de-trimento fieri nequeat; quo in casu exprimendum est, an detecto impedimen-to abstinuerint a copula, an vero post acceptam notitiam jure conju-gum usi fuerint.

1374. Septima causa est *propter sedandas inimicitias graves*, quando nimirum inter oratorum parentes, consanguineos vel affines ante contrac-tum matrimonii graves exortae inimicitiae ex injuria atroci, vel aliunde de praesenti vigent, certumque sit, eas per contractum matrimoniale ora-torum extinctum iri. Huc refertur causa dicta *propter extinctionem litis de-re magni momenti*, v. g. litis judicialis super omnibus bonis etc. Item huc refertur causa dicta *pro confirmatione pacis*; quando pax post graves dis-cordias et lites inita inter oratricem et oratorem, nec non eorum parentes, et consanguineos creditur confirmanda per desponsationem oratorum.

1375. Octava causa est *pro oratrice filiis aggravata*, dum oratrix vi-dua quinque vel pluribus prolibus ex alio viro susceptis gravata est, et orator illam ducere, ejusque proles alere intendat.

1376. Non a causa est *periculum haeresis*, quando prudenter timendum est, ne oratores catholici vicini locis acatholicis cum heterodoxis contrahant cum periculo propriae persionis, et pravae educationis prolium.

1377. Decima causa est (dicta a Curialibus *sine causa*) *ex certis rationabilibus causis*, quando oratores nobiles sine allegatione aliquius cau-sae ex pae-dictis, sed solum in genere ex certis rationabilibus causis dis-pensationem petunt; quo in casu id ad justam causam reputatur, quod co-piosior taxa pecuniaria oratoribus solvenda sit, quae redundat in com-

mune Ecclesiae bonum, cum expendatur pro Missionariis Apostolicis, ex-peditionibus contra Infideles, sustentatione exulum ob Religionem ad Ur-bem confugientium etc. Item pro justa mercede Officialium, et ministrorum Curiae universalis Ecclesiae servientium.

1378. His annumerat alias causas graves, v. g. *ut bona conserventur in familia*. Item ob pae-clara merita etc., quae pertinent ad personas in ordine altiore constitutas. Denique si ad causas pae-dictas alia magni mo-menti ratio accedat, eam quoque exprimere licebit.

1379. Huc pertinet Constitutio Bened. XIV. quae incipit: *Ad Apo-stolicae*, publicata Romae 10. Martii 1742., ubi in ingressu statuit, dispen-sationes non nisi *ex debitis causis* concedendas esse; specialiter in §. 1. exhibet rationem expediendarum dispensationum, nimis quod si causae in libello supplici ab oratoribus expressae tales fuerint, *ut juxta canonicas sanctiones*, et *prudens ecclesiasticue provisionis arbitrium*, locus ad dispen-sandum esse videatur, dispensatio con cedi soleat, ejusque execu-tio Ordinario *ut plurimum committi*, cui onus incumbit diligenter inquirere, an causae expositae veritate nitantur, *ut veris illis existentibus*, gratia execu-tioni de-mandetur; secus vero, si causae nullatenus veritati consentaneae sint. Ibi-dem reprobatur opinio quorundam, quod perperam, et non sine injuria de-negetur execu-tio, etsi causae minus verae existant, propterea quod (ut qui-dam contendunt) expressio causarum, earumque verificatio, in dispensatio-nibus non sit aliquid substantiale, sed formalitas quaedam, et forensis stili consuetudo: subjungit autem idem Pontifex contra hanc opinionem, quod non minus veritati adversatur, quam executionis ordinem, ac modum bene ac prudenter constitutum subvertit, cum expressio causarum, earumque verificatio ad substantiam, et validitatem dispensationis pertineat, illisque deficien-tibus, gratia nulla, ac irrita sit, nul-umque executionem mereatur.

In §. 2. statuit, ut illa clausula: *et oratoribus periculum vitae im-mineret*, quae subinde in libello supplici solet addi, specialiter examinetur, an subsit veritas. In §. 3. refert Motum proprium Pii V. cuius initium est: *Sicut accepimus*, in quo decretum est, *omnes et singulos procuratores, tam Officii sacrae Pocnitentiariae, seu Contradictarum, quam alios, quoscum-que sollicitatores, et scriptores*, qui veritatem facti a narratione, quam ab ipsis partibus habuerunt, quod substantialia, et qualitates necessario expri-mendas, diversam faciunt, seu quoquo modo invertunt, aut immutant, aut depravant, et per subreptionem, et obreptionem gratias a Romanis Ponti-ficibus extorquent, poenam falsi incurre-re, et ea puniri omnino debere. In §. 4. admonet omnes horum negotiorum gestores, *ut cum supplices preces pro aliqua matrimoniali dispensatione porrecturi sunt, id primum ante omnia agant*, ut planam atque exactam facti notitiam assequi curent, sci-scitantes ab ipsis oratoribus, an hae et illae causae adsint, ex quibus sciunt dispensationem concedi solere in hoc vel illo gradu; deinde in supplici libello facti speciem nitide, ac sincere exponant, careantque diligenter, ne illam ali-quatenus in rebus substantialibus alterent, immutent, invertant, corrum-pant, sed stricte adhaereant iis, quae ab oratoribus sibi exposita fuerunt, et multo magis abstineant, ne quid falsi aut facti proprio ingenio inventum, vel excogitatum, ad gratiam dispensationis facilius obtainendam, in precibus obtrudant. In §. 5. pae-fatam Constitutionem S. M. Pii V. et poenam falsi extendit ac dilatat ad omnes pae-dictos negotiorum gestores, procuratores, et expeditores Litterarum Apostolicarum, cuiuscumque status, gradus, or-dinis et conditionis, et quocumque indulto, privilegio et dignitate munitos ... sine tamen pae-judicio obligationis refundendi expensas oratoribus, qui ob illorum culpam ejusmodi dispensationes, quae executioni demandari ne-